



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Perfectionibvs Moribvsqve Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber IV. De Æternitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

DE  
 PERFECTIONIBVS  
 MORIBVSQVE  
 DIVINIS  
 LIBER QVARTVS,  
 DE ÆTERNITATE DEI.  
 CAPVT PRIMVM.

*Quid sit Æternitas.*



ÆTERNITAS sequitur immutabilitatem, & non nisi ratione ab ea distinguitur. Nihil enim est aliud, quàm duratio rei immutabilis, principio & sine carens: duratio autem nihil est nisi esse rei continuatum & permanens. Definitur à Boëtio sic: *Æternitas est*

*Definitio  
 æternitatis.*

*interminabilis vita tota simul & perfecta possessio.* quæ definitio potius est causalis & fundamentalis quàm formalis. Vbi quatuor consideranda. Primò, Quòd sit *possessio vite.* quo significatur perfectus quidam habendi modus, per quem vita non expectatur, sed tenetur præsens, non habetur in spe, sed reipsa obinetur. *Vita* potius possessio quàm existentia; tum quia vita est perfectissimum esse, ac proinde in eius possessione merito ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio: tum quia æternitas à nobis non concipitur nisi comparatione motus; in vita autem apprehenditur motus quidam & actuositas.

Se-

Secundò, *Interminabilis vita*; nimirum non solum in futurum, ut in posterum non possit terminum accipere, sed etiam retrò in præteritum, ut numquam illa vitæ possessio potuerit incepisse. Debet enim utrimque esse interminabilis, ut sit integra & non dimidiata æternitas. Hinc mundus, Angeli, Sancti & Beati omnes non sunt æterni seu *æterni*, sed *interminabiles*, quia infinitis retrò sæculis non fuerunt, in posterum tamen infinitis sæculis permansuri.

Comparatio  
immensitatis  
& æternita-  
tis.

Tertio, Quòd *hæc possessio sit tota simul*; nimirum quia non habet partem post partem, sed omnem suam extensionem habet collectam in momentum; ita ut omni momento habeat totum simul unitum, quidquid per infinitos sæculorù tractus habet extensum. Sicut enim immensitas Dei totam Dei magnitudinem, quæ absque termino in omnem partem diffunditur, colligit in punctum, ut non minus habeat in puncto loci, quàm in spatio immenso: ita æternitas durationem Dei, & (ut ita dixerim) ætatem seu vitam, quæ infinito tempori coextenditur, colligit in momentum, ita ut totam possideat in momento. Sicut enim immensitas se habet ad punctum loci, ita æternitas ad punctum temporis: postulat enim æternitas, ut omnis apprehensio, omnis cogitatio, omne confitium, omne iudicium, omnis voluntas, omne decretum, omnis amor, omne gaudium, omnis felicitas, omnis complacentia & displicentia, denique omnes actus intellectus & voluntatis, qui successu temporis infiniti in Deum cadere possent, fuerint in illo, & sint perfectissimè quocumque momento, omnibus retrò sæculis & in posterum futuris designabili. Non ita fit in creatura: nemo omnes cogitationes, omnes affectus, omnia gaudia, omnes voluptates, quas per longi temporis interuallum successiuè habere potest, simul possidet.

Cogita, quanta mens sit Deus, quàm vasta, quàm capax. Finge, per infinitum tempus quotidie ei occurrere nouas veritates, nouas sapientiæ notiones, noua gaudia: quàm infinitus horum esset numerus per infinitum tempus? Iam cogita illum hæc omnia simul & semel comprehendisse, & possidere ab illo æternitatis nunc, ex quo fuit Deus. Non enim fuit Deus, quin ita simul hæc omnia comprehensa possideret.

Quartò, Quòd *hæc possessio sit perfecta*; nimirum, tum quia prorsus & ab intrinseco est inamissibilis (quod enim potest amitti, non perfectè possidetur) tum quia complectitur omnes motus vitales, ita ut non solum possideatur vita interminabilis quoad rei essentiam,

tiam, sed etiam quoad omnia quæ in illa considerantur. Vnde Angeli, etiam si essent ab æterno, non tamen propriè haberent æternitatem; quia non possident perfectè vitam suam totam simul, sed solum essentiam & actus beatificos. Ex his patet, æternitatem tria postulare: primò, vt sit duratio: secundò, vt sit immutabilis, seu tota simul: tertio, vt ab intrinseco, seu ex vi illius esse in quo fundatur, careat principio & fine. Vnde hoc modo breuiter defini potest: *Est duratio tota simul, ab intrinseco carens principiâ & fine.*

## CAPVT II.

*Æternitatem soli Deo propriè conuenire.*

6 Ex his quæ Capite superiore dicta sunt, consequens est soli Deo competere propriè æternitatem. Primò, Quia solus initio caret durationis, solus numquam incepit, solus omne tempus & interuallum durationis occupat & ambit. Hinc vocatur *antiquus dierum*, apud Daniele cap. 7. quia (vt Dionysius cap. 10. De diuin. nom. exponit) *ipse est omnium æuum & tempus, ante dies, ante æuum, ante tempus.* quod intellige de omni tempore, etiam comprehensibili à creatura. Parum enim esset, ipsum fuisse ante tempus reale, quod nondum sex annorum millia compleuit; cùm etiam Angeli plurimis sæculis, iuxta Patrum quorundam sententiam, ante illud tempus fuerint, Deumque laudauerint: sed fuit etiam ante omne tempus imaginabile, quantumuis illud longum concipiatur. Accipe ante conditum mundum tot sæcula quot sunt arenæ in littore maris; Deus iam erat: accipe totidem myriades sæculorum; Deus antea erat: hunc immensum sæculorum numerum in se multiplica, adhuc Deus infinitis sæculis est antiquior.

Origenes.  
Greg. Nazianzenus.  
Basilus.  
Hilarius.  
Ambrosius.  
Hieronymus.  
Damascenus.

7 Dicitur *omnium æuum & tempus*, quia omne æuum ex ipsius duratione pender, & omne tempus ex ipso fluit, qui æuo & tempori suum esse tribuit & constituat. Vnde cap. 5. idem Dionysius ait: *Αὐτός ἐστιν ὁ αἰών ἡ δὲ αἰώνια, ὁ ὑπάρχων πρὸς αἰώνων. Ipse est æuum æuorum, existens ante omne æuum.* & paulò antè: *Ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων, καὶ χρόνον ὀνόματι, καὶ αἰών ἡ δὲ ὄνομα. Ipse est principium & mensura æuorum, & temporum entitas, & entium æuum.* quæ omnia causaliter intelligenda.

8 Omnis verò creatura initium habet, quia non ex substantia Dei, sed ex nihilo est. Imò secundum sanctorum Patrum sententiam,

G nec

Augustinus. *Creaturam non posse esse aeternam.* nec aeterna retrò esse potest. Docent enim, creaturam suo Conditori non posse esse coaeternam. S. Augustinus lib. 12. De ciuitate c. 15. *Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, aeternitati immutabili non potest esse coaeternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in praeteritum transcunt, & ideo Creatori coaeterni esse non possunt.*

Fulgentius. Fulgentius lib. De fide ad Petrum c. 3. *Hic Deus qui sine initio semper est, quia summè est, dedit rebus à se creatis vt sint, non tamen sine initio: quia nulla creatura eiusdem naturæ est, cuius est Trinitas vnus Deus, à quo creata sunt omnia.* Hic indicat, creaturam non posse carere initio duracionis, quia non est naturæ diuinæ, sed ex nihilo.

Ambrosius. S. Ambrosius l. 6. Hexaëmeron c. 1. *Quid tam inconueniens, quàm vt aeternitatem operis cum Dei omnipotentis coniungeret aeternitate?*

Basiliius. S. Basiliius l. 2. contra Eunomium pag. 8. *Nos autem aeternitatem creaturis tribuere, & Creatorem hac confessione priuare, eiusdem amentia dicimus.* Antè probauerat Filium esse aeternum, hinc infert, non esse creaturam, vt volebat Eunomius. Rationem adfert: Quia sicuti repugnat Creatori non esse aeternum; ita creaturæ repugnat esse aeternam. Dicit esse eiusdem amentia: non quia vtrumque est haereticum, sed quia vtrumquè ex natura rei inuoluit repugnantiam.

Damascenus. S. Ioannes Damascenus l. 1. De fide c. 8. distinguens generationem & creationem, dicit, *generationem carere principio temporis, & esse aeternam, quia opus est naturæ, & ex substantia Patris procedit. Creatio verò, inquit, cum sit opus diuinæ voluntatis, non est coaeterna Deo: quia quod ex non ente ad esse producitur, non est aptum natum esse coaeternum ei quòd principio caret, & semper est.*

Quidam putant, Damascenum solùm velle dicere, creaturæ non esse necessarium aut connaturale, esse ab aeterno. sed praua translatione decipiuntur. Illud enim ἐπεφωρε, non rectè vertitur, non est natura comparatum, vel natura non postulat: sed non potest, & δύναμις. vt passim Argyropylus apud Aristotelem vertit. vnde significat repugnantiam ex natura rei. Simili modo idem Damascenus paulò antè dixerat, quòd diuina natura ἐπεφωρε ἰπομένειν τῷ θεῷ ἢ πῶτον. vbi non vult dicere, ei non esse naturale, sustinere passionem & defluxionem, sed ipsam non esse aptam seu capace passionis. Ex quibus patet, ex sanctorum Patrum sententia repugnare naturæ creatæ, vt sit coaeterna suo Conditori. Et quamuis difficile sit huius rei causam adferre, eò quòd rationem infiniti non satis perspectam

speciam habeamus: tamen per se est rationi valdè consentaneum, ne creatura vlla in re possit æquari suo Conditori, nec possit dici, Antè me non exististi: tam antiquus sum quàm tu, & Filius tuus. Deinde ratio creaturæ videtur inuoluere, vt antea non fuerit. Hinc Patres Græci definiunt creationem, *ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι* *ἡμεῖς ὡς λέω, ex non ente ad esse productionem.*

- 10 Et S. Augustinus lib. contra Felicianum Arrianum c. 7. ex definitione creaturæ probat Filium non esse creaturam, *Creatura, inquit, est ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in se est, Patris omnipotentis Dei voluntate facta substantia. Hæc definitio vtrum in Filium Dei cadat, videamus, &c.* Itaque omnes isti volunt, de ratione creationis & productionis ex nihilo esse, vt res producta aliquando non fuerit. Et sanè si Arriani putassent creaturam posse esse Deo coæternam, facile dixissent, Filium esse quidem creaturam, sed creaturam æternam: & sic amouissent à se præcipuam sui erroris inuidiam. Maximè enim offendebar, quòd dicerent, fuisse aliquando tempus, nempe imaginarium, quo Filius non erat: id quæ putabant omnino sequi ex sua sententia, qua statuebant esse creaturam. Præterea si aliquid fuisset à Deo conditum ab æterno, eius creatio non fuisset peracta momento, sed æterno tempore durare debuisset; nec Deus potuisset rem illam in nihilum redigere, aut influxum suum subtrahere, nisi postquàm res illa æterno tempore durasset. quòd sanè videtur absurdum, nec mens vllò modo potest concipere. Denique sicut creaturæ repugnat immensitas, per quam coextendatur omnibus spatiis locorum; cur non etiam æternitas, per quam omnibus spatiis temporum? quia par est ratio; imò hoc videtur conceptu difficilius.
- 11

Nec obstat, quòd Deus ab æterno habuerit omnem suam potentiam, & potuerit habere voluntatem illam liberam creandi, vbi autem adest potestas & voluntas, ibi quoque sit effectus. Nam simili modo in omni parte spatij per totam immensitatem locorum adest illi sua omnipotentia & voluntas libera, & tamen non potest creari aliqua creatura, quæ totum illud immensum impleat. Causa est, quia id repugnat naturæ creatæ. Rectè tamen conuincit illud argumentum, in quouis momento temporis imaginarij quantumuis hinc retrorsum distante, potuisse fieri creaturam, & antè: sicut in quouis puncto loci imaginarij potest fieri, & vterius. Et hoc sufficit ad ipsius omnipotentiam immensam & æternam asserendam.

*Creatio  
quid.  
Damas. l. 1.  
c. 8.  
Athanas.  
Orat. 4. con-  
tra Arrianos.  
Basil. l. 2.  
contra Eu-  
nomium.*

Secundò illi soli competit propriè eternitas, quia solus ex se vitam 12  
habet interminabilem. Omnis creatura ex se potest desinere & in  
nihilum euanescere; tota ipsius duratio aliunde ex Deo pendet.  
Deus ex se, id est, non aliunde. ipse enim est prima & fundamen-  
talis vita & duratio, fons omnis vitæ & durationis. Vnde Dionys.  
cap. 5. De diuin. nominib. in fine: *Δὸν ἔστωσαν, ἔστωσαν, ἔστωσαν*  
*ἡμεῖς ἡμῶν, ἔστωσαν ἡμεῖς ἡμῶν, ἔστωσαν ἡμῶν.* Quare ipsum  
eum, & omnia que sunt, & mensura rerum, & que sub mensuras  
cadunt, per ipsum & ab ipso sunt.

Tertio, Quia solus totam vitam simul possidet, in creaturis non 13  
est tota simul. Et si enim in Angelis sanctis & Beatis visio beatifica  
& fructus tota simul sunt, alij tamen actus intellectus & volunta-  
tis, locutiones & auditiones non sunt simul, sed alij aliis in infini-  
tum succedunt. Vnde D. August. lib. 1. Confess. cap. 6. *Summus*  
*enim es, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies; & tamen*  
*in te peragitur, quia in te sunt & ista omnia: non enim haberent vias*  
*transcendi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni*  
*tui hodiernus dies: & quam multi iam dies nostri & patrum nostrorum*  
*per hodiernum tuum transierunt, & ex illo acceperunt modos, & utcumque*  
*exiterunt, & transibunt adhuc alij, & accipient, & utcumque existent.*  
Psal. 101. *Tu autè idem ipse es, & omnia crastina atque ultra, omniaque, hesternæ &*  
*retro, hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat?*  
*gaudeat & ipse, dicens: Quid est hoc? gaudeat etiam sic & amet, non in-*  
*ueniendo inuenire potius te, quam inueniendone non inuenire te.* Hic per  
hodie intelligit nunc eternitatis, quod numquã est crastinum, num-  
quam hesternum, numquam præteritum, numquam futurum;  
sed semper hodiernum, semper præsens, semper nunc, in quo  
Deus omnia peragit & omnia peregit tam futura quàm præteri-  
ta. Idem in Psal. 2. explicans illud, *Ego hodie genui te: In æterni-*  
*tate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi*  
*nondum sit.* quare per verbum hodie intelligit eo loco æternitatem,  
quæ tota est simul ac præsans. D. Bernardus Serm. 80. in Cantica:  
*Tempora sup ea (natura diuina) transeunt, non ei, futura non expe-*  
*ctat, præterita non recordatur, præsentia non expevitur.*

Quarto, Quia solus totam vitam suam perfectè possidet, tum 14  
quia solus totam simul, vt dictum est; tum quia possidet illam per  
essentiam & à se, creatura autem per participationem à Deo. Hinc  
ille integrè & illimitatè vitam habet tamquam totam vitam, &  
ipsum omnis vitæ fontem possidens: creatura limitatè, & certis  
ter-

terminis circumscriptam, quasi vitæ quendam particulam & scintillam. Explicat hoc fusè D. Dionysius cap. 6. De diuinis nominibus.

## CAPVT III.

*Deum ratione sua aternitatis esse fundamentum temporis imaginarij infiniti.*

15 SICVT Deus per essentia suæ infinitatem est fundamentum omnis creaturæ possibilis, & per immensitatem omnis loci & extensionis possibilis, ita per aternitatem fundamentum omnis temporis & durationis successiue possibilis. Nisi enim illa essent in Deo re ipsa, hæc non haberent vllò modo esse obiectiuum & intelligibile: nam etiam in esse obiectiuo habent essentialem dependentiam ab illis perfectionibus diuinis. Ideò enim infinitæ sunt rerum species possibilis, quia essentia diuina per suam infinitatem infinitis modis est communicabilis: ideò spatium immensum est imaginabile, quia diuina essentia per suam immensitatem illud quasi expandit; vel potius, quia ipsa est spatium immensum fundamentale, cui aliud scilicet corporeum coextendi potest. Denique ideò tempus retrò infinitum cogitari potest, quia aternitas Dei est infinita duratio, cui tempus successiuum infinitum potest coextendi (intellige, quantum est ex parte aternitatis) vnde ipsa conceptum obiectiuum temporis infiniti substituit.

*Fundamen  
omnis dura-  
tionis.*

16 Itaque Deus non solum est causa existentium, vt actu sunt; sed etiam est fundamentum possibilium & totius esse, speciei, modi, quem singula habent in esse obiectiuo. Quæ sanè consideratio mirificè extollit diuinæ essentia maiestatem & magnitudinem infinitam. sic enim ab illa non solum dependent omnia quæ actu sunt, sed etiam omnia quæ actu non sunt; nec solum secundum esse actuale, sed etiam solum esse possibile & intelligibile, licet diuerso modo. nam secundum esse actuale pendent à libero eius influxu, ac proinde à libera eius voluntate nulla naturali necessitate: secundum esse possibile pendent ab eo naturali necessitate ante omne decretum liberum. qua de re plura infra Libro v. De Omnipotentia.

Hinc vltèrius fit, vt sicut infinitudo essentia non potest concipi à nobis, nisi in ordine ad species rerum possibilis; nec immensitas,



nisi respectu spatij imaginarij possibili, ita nec æternitas nisi comparatione temporis imaginarij infiniti.

*Æternitas  
longissima, &  
& brevissima.*

Ex dictis sequitur primò, *Æternitatem simul esse & longissimam & brevissimam. Longissimam*, virtute & coëxtensione; quia infinitis temporum spatiis se exæquat. *Brevissimam*, quia in puncto temporis habet omnia quæ per infinitum tempus habere potest. Itaque sicut tempus est *nunc volans* (nihil enim de tempore est, nisi ipsum *nunc*, sed illud semper fluit, estque omni momento aliud & aliud) ita æternitas est *nunc stans*. nam in ea omnia sunt simul, & semper in eodem consistunt statu. Sub ipsa volant omnia tempora, & prætereuntibus aliis succedunt alia; & omnis creata natura suos accessus & recessus patitur, amissis antiquis nova acquirens. Hinc tempus & temporalia omnia sunt sicut flumen quoddam, æternitas sicut rupes firmissima, sub qua flumen raptim transit: omnes aquæ partes successivè adlabentes rupem subeunt, & transeunt, nec unquam redeunt; rupes autem semper eodem loco manet. Sic omnia temporalia alia post alia succedunt & transeunt sub æternitate, numquam reditura ut rursus fluant. Est enim æternitas similis puncto, circa quod describitur circulus: sicut enim punctum illud respondet toti circumferentiæ, & singulis eius punctis, ita æternitas respondet & assistit toti temporis, & singulis eius momentis.

*Temporalia  
sunt insiar  
fluminis, æ-  
ternitas in-  
suar rupis.*

*Est similis  
puncto in cir-  
culo, & cen-  
tro in circuli  
circulari.*

*Efficit bonum  
infinite me-  
lius, & ma-  
lum infinite  
peius.*

Sequitur secundò, *Æternitatem omne bonum, quod affecerit, 18* efficere infinite melius, idque dupliciter: Primò, Ratione durationis; quia tribuit ei durationem infinitam, atque adeò infinitum esse. Esse autem eò melius est, quò maius, siue intensivè maius sit, ut cum res in se est perfectior; siue extensivè, ut cum diffunditur per subiectum maius, vel per maius tempus. quæ ergo infinite durat, infinite melior est. Exemplum: Voluptas unius diei magnum bonum est, magnèque penditur; voluptas unius hebdomadæ, pluris penditur; unius anni, pluris; centum annorum, longè, pluris; 1000. in decuplum pluris, & sic deinceps, quò diutius durat, eò æstimatur amplius. ergo quæ durat, infinite; infinite pluris æstimabitur. Idem dicendum de gloria, divitiis, pulchritudine, ceterisque bonis. contrarium accidit in pœnis: æternitas enim pœnam facit infinite peiorem & molestiorem. Secundò, Ratione collectionis illius boni; quia totum commodum, quod res illa infinito tempore successivè adferre potest, colligit in unum, & simul conferri, percipi ac gustari facit: ut si tota voluptas, quam lau-  
tum

tum conuiuium per partes & successiue adferre potest tempore infinito, colligeretur in vnum, & tota simul aeterno tempore tribueretur, esset infinitum melior & maioris aestimationis. Simili modo aeternitas in malis, nempe in pœnis, colligit illas quodam modo in vnum, & simul sentiri facit. etiam enim simul non existant, tamen facit simul apprehendi, & sic infinitum quemdam dolorem animo inurit.

## CAPVT IV.

*De fructu qui ex consideratione aeternitatis percipitur.*

19 **Q**VADRVPLEX potissimum fructus nobis hinc colligendus. Primus est, Incomprehensibile quoddam gaudium benevolentiae & congratulationis in Deum, ex praedictorum perpensione nascitur. Cum enim omnia ipsius bona, quae per se infinita sunt perfectionis intensiuae, etiam aeternitate intime veluti imbuta cogitamus; consideramus in illis nouam quamdam infinitatem, eamque geminam. Vnde triplicem in illis contemplamur infinitatem: Primam, ratione perfectionis intensiuae: Secundam, ratione durationis infinitis tum retrò, tum in futurum saeculis: Tertiam, ratione collectionis in vnum; quia aeternitas totum commodum quod infinito tempore successiue ex aliquo bono percipi potest, colligit in vnum. Hac ergo triplici ratione gaudendum nobis est, & congratulandum Deo nostro de quouis ipsius bono, tum essentiali, tum personali. Gratulandum Patri, quod sit fons Diuinitatis & processionum diuinarum, quod talem & tantum genuit Filium, quod imhensum spirauerit amorem: quod hos produxerit non à 100. vel 1000. annis, sed ex omni aeternitate: quod in omnem aeternitatem producat. Filio, quod tanti Patris sit Filius; quod omnium Patris bonorum in solidum particeps; quod vnà cum Patre sit fons Spiritus sancti, quod haec bona habeat ex omni aeternitate in omnem aeternitatem; quod non successiue, non partite, sed tota simul completissime. Pari ratione gratulandum Spiritui sancto. Denique simul gratulandum omnibus & singulis diuinis personis, quod bono fruantur infinito, quod eo fruatur ex omni aeternitate in omnem aeternitatem, quod totum gaudium simul percipiant & sentiant, quod per totam aeternitatem successiue sentiri posset.

*Gaudium & congratulatio.*

Secun-

Secundus est, Maximum gaudium concupiscentiæ, nimirum 21  
 quod ex tanti boni certa & cita expectatione nascitur. Cum enim  
 consideramus, totum illud bonum Dei æternum, nostrum esse,  
 nobis promissum, & à nobis in æternum & totum simul possiden-  
 dum; non possumus non maximo gaudij affici. Si enim dilectores  
 mundi de istis infimis & momentaneis bonis ex inopinato oblatis,  
 sæpe ita gaudent, ut vix se capiant; quantum nobis gaudendum de  
 bonis summis, infinitis, & sempiternis, quorum suauitas tota simul  
 percipietur? Et quamuis non fuerimus ab æterno, tamen possiden-  
 tes Deum, fruemur in eo etiam æternitate, quatenus infinitis retrò  
 sæculis existit, mente nos retrorsum & antrorsum extendentes;  
 sicut & tota immensitate fruemur, in immensum illud pelagus  
 nos immergentes. Vnus enim spiritus erimus cum Deo. Sensum  
 igitur & gustum habebimus diuinorum, sicut & ipse Deus habet,  
 etiam dispari gradu. Ibi possidebimus diuitias infinitas, non decem,  
 centum, vel mille annis, sed infinitis sæculis; non sensim & suc-  
 cessim commoda & oblectationem earum percipientes, ut fit in  
 hoc mundo; sed affatim, accumulatum, & omnibus simul fruentes.

*Triplicis æsti-  
 matione in o-  
 mnibus quibus  
 fruemur in  
 futura vita.*

Itaque triplicem habebunt æstimationem, & tripliciter infinitam. 22  
 Primum, ratione obiecti, seu bonorum ipsorum: secundò, ratione du-  
 rationis æternæ in possidendo & fruendo: tertio, ratione collectio-  
 nis in vnum; quia totum commodum quod æterno tempore ex il-  
 lis percipi potest, simul collectum & cumulatum erit in vnum.

*Æternitatis  
 in penis.*

Tertius est, Maximus timor æternæ damnationis, quia in hac est 23  
 infiniti & æterni illius boni iactura, & summi æternique tormenti  
 permissio. Nullum malum pœnale maius, grauius, acerbius animo  
 concipi potest. Nulla enim iactura comparari potest cum iactura  
 boni infiniti & æterni, quod in æternum erat possidendum. Nul-  
 lum sensuum tormentum conferri potest cum tormento ignis in  
 æternum duraturo. His accedit æternus carcer, æternæ tenebræ,  
 æterna sitis, æternus vermis, æternus fetor, æternus horror, æter-  
 nus luctus, æterna comploratio, & quidquid malorum cogitari  
 potest, ibi erit, & æternum erit. Quis æternitatem in istis omnibus  
 considerans non exhorrescat? Quis mundi vanitatem, diuitias, vo-  
 luptates, honores ad momentum captare velit, cum tanto æterno-  
 rum malorum periculo? Ponamus mala ista solum mille annos  
 duratura; nihilominus ingens esset fatuitas, pro momentaneis &  
 infimis rebus, pro modica & breui voluptate, periculo tanti & tot  
 annorum tormenti se exponere. Quanto ergo maior erit fatuitas,  
 si cen-

si centum millium annorum poena foret? Quanta si centuplo diuturnior? & sic deinceps sine termino, quò productior statuetur poena, maior quoque censetur fatuitas, eius periculo se obicere. Cum ergo certissimum sit, poenas istas omnes fore sempiternas, necesse est, infinita quadam amentia & fatuitate teneri eos, qui futu-

*Fatuitas  
omnium tur-  
niss.*

24 aeternae damnationis periculo se exponunt. Nullam ego animo concipere possum maiorem fatuitatem, nullam perniciosiorem insaniam, qua tamen illi spontè tenentur: quia si vellent parumper considerare quid sit aeternitas, facile ea liberarentur, & ad sanitatem redirent. Neque ad hoc opus est totius aeternitatis sublimis consideratio; sed dimidiata dumtaxat, quae in futurum extenditur, popularis & attentata cogitatio. Haec enim aeternitas, etiam dimidiata, tamen tanta est, ut nulla saeculorum multitudo quidquam ad illam sit aliud quam momentum. Constitue montem arena- rum qui impleat totum orbem, unde singulis saeculis vna tollatur arenula; quot saeculorum myriadibus opus erit ut totus absorbat- tur? quis hoc numeret aut animo comprehendat? & tamen cum totus fuerit post innumera saecula consumptus, nihil detractum aeternitati, sed solum erit initium, sicut ante. Denique post omnia saecula imaginabilia & comprehensibilia ab homine, vel ab Ange- lo, nihil ademptum erit aeternitati, sed semper erit initium. Haec cogitatio quotidie nobis animo versanda; quia nulla ad omnes tentationes vincendas, ac pericula peccatorum cauenda potentior, nulla efficacior. Unde monet Sapiens Ecclesiastici 7. *In omni- bus operibus tuis memorare nouissima tua* (aeternitatem poenarum & praemiorum) *& in aeternum non peccabis.* Tantum enim timorem homini incutit, ut omne peccatum mortiferum tanquam sum- mum malum, utpote summi mali certissimam causam, summe de- tellatur ac fugiat.

25 Quartus est, Contemptus huius mundi? Qui enim aeterna considerat, clarè videt quam parui & nullius momenti sint omnia temporalia, si cum aeternis comparentur. Nam quidquid transit, hoc ipso quo desijt, perinde est ac si numquam fuerit. Fruatur quis omnibus mundi voluptatibus, omnibus honoribus, omni gloria, omni imperio plurimis annis: priuetur postea istis omnibus, nihil habebit ex omnibus commodi, nihil restabit illi nisi moeror, & tri- stis memoria se bonis istis omnibus orbatum esse, quae eò erit acer- bior, quò bona illa visa sunt illi dulciora. quò enim suauior est pos-

*Contemptus  
temporalium.*

H sessio,

cessio, hoc amarior est amissio; ut vel ob hanc vnicam causam, etsi alia non subesset, temporalia sint contemnenda. Quod verò æternum est, numquam amittitur, numquam amitti potest. vnde est infinites melius & optabilius re temporali, etsi aliam præ illa excellentiam non haberet. Accedit, quòd temporalia non simul sua commoda adferant, sed sensim; priore enim commòdo euanescente succedit aliud: bona æterna simul sua commoda præstant. Vnde & hac ratione temporalia ab æternis infinitè superantur.

## CAPVT V.

*Recollectio de Eternitate.*

Psal. 89.

**P**RIVSQVAM *montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à se- 26*  
culo usque in seculum tu es Deus. Tu enim principium & artifex omnium; vnde & ante omnia. Non natura aliqua necessitate impulsus hanc rerum vniuersitatem, hoc magnum palatium cum incolis & opibus suis effudisti (sicut sol lumen effundit) ut opus tuum tibi coeternum esse possit: sed liberrima voluntate, ut summus artifex, finxisti & ædificasti. Antiquior ergo es opere isto, quod nondum sex annorum millibus consistit. Sed quot, obsecro, sæculis antiquior? neque illud omnino absurdè quæritur, quasi ante hunc mundum sæcula nulla fuerint, in quibus tu existeres, & bonis tuis fruereris.

Etsi enim ante cæli & terræ conditionem, solis & lunæ conuer- 27  
siones, quæ nostros dies, menses & annos metiuntur, ex quibus quantæ sint rerum nostrarum minutæ durationes, cognoscimus, non fuerint; dubium tamen non est (nisi de vocibus contendere velimus) quin durationes & spatia aliqua fuerint quasi dierum, mensium, annorum, & sæculorum, sub quibus isti motus extendi & transigi potuissent; si tunc extitissent: sicut nec modò, absoluto mundi huius curriculo, cessantibus cælorum motibus, durationes omnes & spatia temporum abolebuntur. Capiamus ergo retrò ante conditum ordinem, centum millia sæculorum; iam tunc eras Deus. Capiamus totidem sæculorum milliones; iam ibi eras, æquè magnus, æquè potens, æquè sapiens, æquè beatus. Denique sine fine maiorem & maiorem sæculorum numerum retrorsum mensuramus; concipiat, & inueniet te cum omnibus bonis & gaudiis tuis infinitis sæculis adhuc priorem & antiquiorem.

Tu

- 28 Tu enim es hypostasis, & principium; & mensura omnium sæculorum; tua aeternitate prior omnibus sæculis & superior, sub quo omnia voluuntur sæcula. Sicut enim tua immensitate, extendis, ambis, & contines omnia spatia locorum: ita tua aeternitate anticipas, protendis, & ambis omnes durationes & moras temporum, tamquam omnium radix & origo. Sub te omnia inchoantur principia, omnes accedunt profectus, omnis transigitur vita, omnes procurrunt motiones, omnis perstat existentiæ, omnes proueniunt termini, omnes clauduntur fines.
- 29 O aeternitas, omnis boni primæua & interminabilis complexio; omnis vitæ infensibilis tota simul & perfecta possessio. omnis beatitudinis sine principio & sine superplenissima fruitio: Tibi nihil præteritum, nihil futurum; tibi nulla accessio, nulla decessio fieri potest. Nam altitudine tui *nunc*, quod infinitum tempus ambit, omnia simul colligis; in illo omnia tenens præsentia, ut nec fugere possint in præteritum, nec de nouo in futurum aduenire. Omnia enim præsentia, præterita & futura præcipis & anticipas; & tibi iam præsentia erant priusquam futurorum notionem haberent. Etsi enim quæcumque aliquando futura sunt, ab æterno futura fuerint; nisi tamen ea sciuisset, & vel facere vel permittere voluisset, ab æterno non futura fuissent.
- 30 In tuo *nunc* omnia semel constituta & decreta; omne consilium de omnibus captum & conclusum. Nihil de nouo restat deliberandum, nihil non plenissime expensum: omnia definita & decisa, quæ vel fient vniquam, vel non fient. Ibi quoque & nos numerati & appensi sumus, & librata sunt omnia opera nostra. Ibi nobis pœna vel gloria æterna præparata: ibi vel regnamus cum Sanctis omnibus in gloria, vel incendiis inferorum cum impiis & dæmonibus ardemus. Aeternitas præscientiæ & decretorum tuorum anticipat omnia: & quidquid vniquam in tempore futurum est, ibi iam factum est.
- 31 O aeternitas! abyssus gaudij Sanctis, abyssus miseriarum & dolorum impiis! Sicut enim omne bonum facis infinite melius & optabilius, ita omne malum efficis infinite peius & molestius. Quæ mens magnitudinem tuam capere, quod robur animi pondus tuum sustinere queat? Tu omnem superbiam retundis, omnem duritiem frangis, omnem animositatem reprimis, omnes peccatores perturbas, omnes pios in afflictione recreas, & ineffabili gaudio perfundis. *Momentaneum enim & leue tribulationis huius*, 1. ad Cor. 4

*supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*  
 Pro *momentaneo malo* rependetur aeternum bonum; pro *leui tribulatione*, pondus gloriae immensum; pro *afflictione terrena*, gloria in sublimitate. Vae miseris peccatoribus, qui momentaneum & leue huius vitae solatium, aeterno illi gloriae ponderi anteponunt: qui aeternum malum subire supplicium, quam momentaneo huius vitae carere commodo: qui terrena ista praefertunt caelestibus, infima sublimissimis, momentanea sempiternis.

O aeternitas! tu semper menti meae obuerferis, tu intimis mihi sensibus inhaereas, tu omnium mearum actionum & totius vitae sis regula. Omnia temporalia, siue bona siue mala, praeter te contemnam & nihili ducam. Tu mihi in omni afflictione sis solatium, & in omni tentatione praesidium, & in omni prosperitate monitorium. Tibi vero *depravatio*, & *diavolus* principio, quod omni principio antiquius, tibi aeternum parenti, saeculorum Regi, temporum dispensatori, aetatum prouectori, omnis permanentionis & durationis basi, & beatae aeternitatis largitori, omnis honor & gloria in omnem aeternitatem, Amen.

